

sursum ad ventriculum, cor & cerebrum repente, quotidie per intervalla recurrente, erat suspicio à corruptis humoribus in mesenterii venis delitescentibus, exoriri vapores effumantes ad illas partes, eas vellicantes. Cum meum expetiisset consilium, ad vitiosos humores eliminandos, præscripsi primò pilulas, post vinum med. laxat. at sine profectu, quin symptomata perseverarent in pristine statu, cum animadverterem purgantia parum proficia, ratus, adesse quandam *dyspepsiam*, viscerum concoctioni inservientium, contra-

cta à potu cervisiax illic consueto, ad illam corrigendam.

R. Sp. aromat. caryo. diagal. dia-nis. diaxylo. a. ȝȝ. diambr. ȝij. lac. fini. ȝij. f. Tr. Manè & vesperi cochl. cum crusta panis tosti vino generoso, vel malvatico imbuti.

Liber ac inamunis à tantâ molestiâ evasit. Exin luculentum capendum exemplum, plærosque morbos solis pharmacis purgantibus non cedere, nî *κακοπτερία* viscerum interiorum, quorum culpa humores vitiosi generantur, emendari queat, omnem Medici conatum esse irritum.

### De Passione cholérica funesta.

#### OBSERVAT.

Illust. ac Generosi Dn. Leopoldi ab Herberstein / Generosa coniuncta Baronissâ de Madruz / 60. excedens annum, in metropoli Judenburgenſi superioris Styriæ, suum habens domicilium, cholericâ passione gravissimis symptomatis stipata decubuit, viridi ac virulentâ bile in tantâ copiâ deorsum, sed in primis sursum per os re cœta, ut admirationi, ubi tām ingens faburra vitiosorum humorum reservata, dum Natura pravâ eorum qualitate extimata, ad excretionem, conjectura oborta, totam mesenterii regionem, iis farctam ac repletam, nec à ratio-

ne alienum, quin ex totius corporis venis confluxerint etiam humores corrupti, ob debilitatem facultatis retentricis. Consimilem casum commiseratione dignum, observare mihi antea non contigit. Ego cum alio quodam Medico Italo in subsidium accersitus, etsi pro nostris viribus Naturæ periclitanti, suppetias ferre, in propulsando tām gravi morbo, anniteremur, sed instante fatali vitæ termino nostra opera erat frustranea, quin Ill. ægra, relicto terreno hoc domicilio, demigrare coacta, in ædes superas à cœlesti Janitore rese-randas.